

Judicium Doctorum Lovaniensium de occulta delatione Eucharistiæ ad infirmos per Regulares.

SPECIES FACTI.

Um ab aliquot annis Antverpia increverit abusus, quo Religiosi omnium Ordinum infirmis atque impeditis ad Ecclesiam venire non possint, & maxime Eliabus suis spiritalibus, ante & post publicam administrationem Viatici, occultè deferant sacram Communionem per omnes Parochias Civitatis; dicentes id sibi licere per Privilegia: eorumque exemplo etiam alii Sacerdotes seculares, non habentes jurisdictionem, Capellam Ecclesiarum, & Rectores sacellarum particularium passim idem faciant, contra Decreta Canonum, & Ordinationes Synodorum, præsertim Synodi Provincialis Mechliniensis celebratæ anno 1607. tit. 7. cap. 3. quæ Synodus non tantum est confirmata Regio diplomate, sed etiam Roma à Sancta Congregatione recognita, & approbata per Breve Pauli quinti, in quo hortatur Pontifex & auctoritate Apostolica jubet, ut ejus Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum præscriptum, omnes istius Provincie Episcopos, omnesque eorum Diocesanos obstringunt, ab omnibus quàm diligentissimè & inviolatè serventur; sique non obstantibus pergant dicti Religiosi, alique, in dicta functione, tametsi sæpius à Pastoribus moniti; indeque varii abusus, & scandala orta, & oritura sint indices graviora, imò & totalis confusio Ecclesie Dei.

Primo enim, cum Pastores volentes obedire præceptis & Ordinationibus Ecclesie, recusant occultè Sanctam Communionem deferre, sed deferunt cum debito honore, passim eis dicitur à communitate, adhibemus Religiosos, qui id nobis offerunt: adeoque Pastores incurrunt indignationem suorum, sibi autem aucupantur gratiam.

Secundo, cum illi ante extremum periculum pro securitate & devotione, ut dicunt, occultè Sacram Communionem deferunt, sæpius sit ut postea negligatur publica administratio tam Viatici, quam Extrema unctionis.

Tertio, aliqui in ducitur moribus occultè recipientes Sacram Communionem à Religiosis, nolunt nequidem in Paschate eam ad se publicè deferri, adeoque aliquot annis non communicant de manu proprii Pastoris.

Quarto, contingit Religiosos, seu alios Sacerdotes secum gestantes in capsula vel corporali Venerabile Sacramentum, alio divertere, aliaque fieri contra debitam reverentiam. Denique, hoc modo paulatim desinet omnis publica administratio, & omnes volunt ad se occultè Sacramenta extrema deferri; quod tamen est actus publicus, & professio Fidei Christiana.

Quare Pastores sæpe querelas deposuerunt apud Reverendissimum Dominum Episcopum, rogantes ut efficaciter id impedire dignaretur, allegantes Decretum præfata Synodi Mechliniensis, & Clementinam de Privilegiis & excessibus Privilegiatorum; in qua expressè hoc prohibetur Religiosis sub pena excommunicationis: sed Reverendissimus prædictus existimat ibi prohiberi eis sub tali pena delationem Viatici dumtaxat, non autem particularis communionis, ad enim eis licere.

Queritur ergo. An dicta Clementina desumpta ex Concilio Viennensi, intelligenda sit tantum de administratione Viatici, an de omni delatione Sacra Communionis; præsertim occultè absque licentia speciali parochialis Presbyteri, ut satis clarè in textu dici videtur?

Secundo utrum Episcopus non possit prohibere delationem occultam hujus Sacramenti in urbe Antverpiensi & locis sua Diocesis, ubi est licitum publicum exercitium Christiana Religionis; Sacerdotibus quidem secularibus sub pena suspensionis à divinis, aut alia arbitraria; Regularibus autem sub pena excommunicationis incurrenda ipso facto, juxta tenorem dictæ Clementine, in qua expressè additur, nullo Religiosis eidem super hoc exemptionis, vel alio Privilegio suffragante. Super qua questione videri potest Reginaldus in praxi l. 29. num. 90. & 91. & locis ibi citatis & Bonacina Tom. 3. de excommunicationibus disp. 2. quaest. 5. p. 15.

Tertio, an Episcopus non obligetur in conscientia hos abusus efficaciter impedire?

RESOLUTIO.

Viso, & diligenter examinato Casu superius expresso, ad Quæstia eidem subnexa respondent infrascripti.

Ad primum, prohibitionem Clementinam esse generalem, adeoque omnibus Religiosis prohiberi Sacram Eucharistiam, quibuscumque, tam Clericis quàm Laicis ministrare, sive id fiat occultè sive publicè, absque licentia speciali Parochialis Presbyteri; neque restringi ad administrationem per modum Viatici, saltem tamen exceptionibus ad calcem primi Capituli ejusdem Clementine, quæ firmant regulam in contrarium.

Et quavis post dictam Clementinam aliqua sint concessa privilegia Regularibus sive Religiosis ut non requisita licentia Parochi omnibus Christi Fidelibus Sacram Eucharistiam administrare possint; id tamen intelligendum est in suis templis, & non extra. Videatur Barbosa cum us quos citat de officio & potestate Parochi, parte 2. c. 20. num. 8. Non possunt igitur Religiosi vi suorum privilegiorum, sive publicè, sive occultè, deferre Sacram Eucharistiam ad domos agrotantium, sive Laicorum, sive Clericorum; non publicè, quia hand dubiè istud ad jus Parochorum spectat, & consuetudo hætenus inviolata extat in contrarium; non etiam occultè, quia Canonus & Concilia mandant, ut quando ad infirmos deferenda est Sacra Eucharistia, id fiat manifestè & honorificè; scilicet necessitate. Ità statuitur capitulo sanè, de celebratione Missarum. Ubi Pontifex, agens de delatione Eucharistiæ ad infirmos addit, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat & referat manifestè, & honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ; ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerint effugere ultionem. Cuius capitulo consonat hæc ordinatio Ritualis Romani, sub tit. de Communione infirmorum. Deferri autem debet hoc Sacramentum ab Ecclesia ad privatas agrotantium domos, decenti habitu, superposito mundo velamine, manifestè atque honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente. Quæ intelligenda sunt non tantum de administratione per modum Viatici, sed etiam causa devotionis, prout ex antecedentibus liquet. His quoque conformis est constitutio Synodi Provincialis Mechliniensis, tam de anno 1570. quàm de 1607. de Sacramentis.

Ex quibus quoque p. 1. et responsio ad duo Quæstia sequentia: Possit nimirum, & teneri Episcopum prohibere delationem occultam hujus Sacramenti, ut in Quæsto secundo, etiam sub pænis ibidem expressis; signanter quando leviora pæna prudenter judicantur non sufficere. Ad obviandum efficaciter abusibus in contrarium: debent enim Episcopi procurare observantiam Canonum salubriter constitutorum, præsertim cum id eis specialiter injungitur, prout per verba

verba superius relata. Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerint effugere ultionem. Ità Lovanii resolutum die 23. Junii anno 1664. & sub signatum erat.

GER. VAN WERM. S. Theol. Doct. & Prof. Reg.
JACOBUS PONTANUS S. Th. Doct. & Professor.
JOAN. SINNICH S. Th. Doct. & Prof. Ordinarium.
ANDREAS LAURENT. S. Th. Doct. & Prof. Reg.

CAPUT III.

De Communione Paschali.

1. Primis seculis Fideles quotidie communicabant.
2. Seculis posterioribus communio rarior esse cepit, & ad eam urgeri debuerunt.
3. Aliquando præceptum fuit ut res in anno communicarent.
4. Saeculo 13. Synodus Lateranensis præcepit ut ad minus in Paschate communicarent.
5. Decretum hoc probavit Synodus Tridentina, frequentiore tamen Communionem desiderans.
6. Quæ regule pro frequentiore Communionem servanda remissive.
7. Ex præcepto positivo Ecclesia sola Communionem Paschalis necessaria, & quod dicatur tempus Paschale?
8. Hæc Communionem in Ecclesia Parochiali faciendam.
9. Non satisfacit huic præcepto per Communionem in Ecclesiis Regularium quantumvis privilegiatorum: & quid de famulis laicis Monasteriorum?
10. S. Carolus de hac obligatione communicandi in Parochia populum monendum censuit.
11. Aliquando statutum fuit ut nullus intra tempus Paschale Communionem præter Parochum administrare possit.
12. Hic rigor quomodo remissus?
13. Hoc præcepto qui teneantur?
14. An agri teneantur?
15. Tempus Paschale de Concilio proprii Sacerdotis rogari potest: & quis hodie censetur quoad hoc proprius Sacerdos?
16. Pæna non communicantis in Paschate.
17. An Parochus propria auctoritate hanc pænam infligere queat?

IN primordiis Ecclesie certum atque exploratum est, omnes Fideles, quorum erat cor unum & anima una, quotidie perferre in communicatione fractionis panis, ut Acta Apostolorum testantur: nec ullus sacris mysteriis interesse per mittebatur, nisi qui offerre poterat; & de oblati participare; quam consuetudinem diu persistit evidens est, ait Cardinalis Bona lib. Rerum Liturg. cap. 17. n. 2. "Nam ex Justino Apol. 2. ex Constitutibus Apostolicis lib. 8. cap. 20. ex Dionysio cap. 3. Eccl. Hierarchie & aliis constat, Pontificem, confectis Mysteriis, sumpsisse Eucharistiam, & singulis præsentibus tradidisse sive per Diaconos, sive per se ipsum.

Quotidianam communionem suo tempore adhuc Romæ viguisse testatur S. Hieronymus Epist. 5. ad Pamphiliu. his verbis: "Christi Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christo Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo.

Augustinus Epist. 52. ult. edit. hac de re varias fuisse in Africa consuetudines scribit.

Ex quibus colligimus, in Ecclesia Latina etiam usque ad seculum 5. in aliquibus saltem Ecclesiis quotidianam fuisse Eucharistiæ sumptionem.

II. At fervore Fidelium postea refrigerante, rarior esse cepit Eucharistiæ sumptio, gustuque hujus spiritalis alimentum Van Espen Jur. Eccl. P. II.

monia deficere, ut qui tamquam famelici ad hunc cibum accurrebant, debuerint tandem tamquam agri ad medicamenta non tantum invitari, sed & urgeri, imò & pænis quodammodo constringi; idque non ut quotidiè, sed ut saltem in præcipuis festivitibus hoc divino alimento reficerentur.

III. In Synodo Agathensi seculo 6. decretum est Can. 18. "Seculares, qui in Natali Domini, Pascha & Pentecoste, non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur." Apud Grat. dist. 2. de Consecr. Can. 19.

In concilio Turonensi III. anno 813. Can. 50. legitur, "Et si non frequentius, vel ter laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediat."

Refert hæc Gratianus sub nomine Fabiani Papæ dist. 2. de Consecrat. Can. 16. additis his verbis: In Pascha videlicet, & Pentecoste & Natali Domini, sed Decretum hoc Fabiano falsò adscribi agnoscunt eruditi; neque disciplinam hanc sapere a tatem Fabiani, qui sub initium seculi 3. vixit, nimis notorium est: quo ex capite rectè quoque notavit Ferdinandus de Mendoza in Commentario ad concilium Eliberitanum lib. 1. cap. 6. Gratianum falsò Canonem 21. dist. 2. de Consecrat. quo referuntur verba Synodi Agathensis supra relata adscribere concilio Eliberitano: "Nam tempore hujus concilii, ait Mendoza, fervente adhuc antiqua nascens Ecclesie devotione, non ter in anno, sed quotidie communicasse solitos Hispanos testis est D. Hieronymus in Epist. 104. ad Lucinium Beticum.

IV. Illud ex allegatis Canonibus fat constat, seculo 9. laicos constructos fuisse ter in anno communicare. Quam diu hæc disciplina duraverit incertum est; hoc constat, quòd labente per univèrsu orbem pietatis studio, tandem Ecclesia coacta fuerit præceptum suum ad annum Communionem restringere, de qua in Concilio Lateranensi relato in Cap. OMNIS UTRIVSQUE SEXUS & de Pænit. & Remiss. ita tum est: "Omni utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & adjunctam sibi pænitentiam propriis viribus, studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

V. Hunc Canonem præ oculis habens Synodus Tridentina declarat Sess. 13. Can. 9. de Eucharistia: "Si quis negaverit, omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesie, anathema sit.

Verum Synodus probans ac invocans prædictam Concilii Lateranensis ordinationem, declarat quidem, astringi omnes Christi Fideles præcepto positivo Ecclesie, ut minus semel in anno Paschate communicare, sed tamen alio in loco declarat, votum suum fuisse, ut Christi Fideles frequentius ad Sacram Communionem accedant; imò ut in lingulis Missis Fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent, Sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ.

VI. Variæ regulæ, quas Parochi alique animarum Directores in suadenda frequentiore aut rariore Communionem sequi debent, ex sanctis Patribus à Theologis assignari solent:

